

## 7. Sekundärliteratur

### Historiae Collegii Philobiblici Lipsiensis Pars 1.

Illgen, Christian Friedrich

[Leipzig], 1836

Observationes.

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

## OBSERVATIONES.

*Magnif. Collegii Directoris D. D. Alberti:*

*Rupti sunt fontes abyssi magnae etc.]* Inde etiam potest deduci usus paracleticus, argumentando a minori ad maius: Fecit Deus haec ad perdendos impios, quid non faciet ad conservandos pios! 12. Illa observatio, quod Deus intervertat ordinem naturae, ubi homines intervertunt ordinem Dei, posset ita porro deduci et explanari: Deus agit secundum naturam, contra naturam et supra naturam. Secundum naturam tam cum piis, quam cum impiis; contra naturam *ὡς ἐπὶ πολὺ* et primario in damnum impiorum; supra naturam ut plurimum in commodum piorum etc.

*Cl. Domini M. Gleitsmanni:*

v. 12. ] *ויהי הגשם* Seneca Libr. 3. *nat. quæst.* c. 27. affert 5 causas diluvii: 1) longinquam continuationem densissimae pluviae, 2) augmentum fluminum, 3) tumescentis maris in terris effusionem, 4) coitionem siderum, quae vim habeat imbriferam, 5) resolutionem magna ex parte in aquam. — Vid. v. 4., ubi Deus praedicit: *אנרכי ממטיר*. En complementum! Significatio formalis *טוֹב גשם* patet ex Arab. *جَشَمٌ*, i. e. cum gravitate rei incubuit. — (*ארבעים*) In medio furore Deus recodatur misericordiae suae. Chrysost. h. l. — v. 11. ] *רבה* conf. Gen. 6., 4. de magna malitia hominum. En! *מרה כנגד מרה* Raschi h. l. — v. 13. (*בעזם היום*) Memores simus dierum, quibus vel beneficiis vel poenis a Deo afficimur. ] *נח* potiori apud Deum loco est salus iustorum quam poena impiorum.

## III.

Pietatis Fructus  
in Bibliorum Codice promissos,  
cum  
Celsissimo ac Serenissimo Principi  
DN.

**DN. FRIDERICO AUGUSTO**

Duci Saxon. Iul. Cliv. et Mont. etc. etc. etc.

Domino suo Clementissimo

Vir

Reverendus atque Praeclarissimus

**DN. M. PAULUS ANTONIUS**

Mai. Principp. Collegii Collegiatus,

a sacris in itinere esse iussus

Lipsia

d. 26. Aprilis Anno MDCLXXXVII.

discederet,

animo gratulabundo

atque votivo

contemplatur

**COLLEGIUM PHILO - BIBLICUM.**

**Biblia noster Amor,**  
quae amorem Dei offerunt  
**DEI et BIBLIORUM** Amatoribus.  
Merito igitur  
Quotcunque in **COLLEGIO PHILO - BIBLICO**  
nostram exhibemus Symbolam  
hoc velut adhibemus Symbolum:  
**BIBLIA noster Amor!**  
Hic Liber est,  
ad cuius laudes ulterius progredemur,  
nisi laudem omnem supergredetur.  
Qui enim multis est  
Unus et solus Liber: Palatium Dei:

Lucerna pedum: Thesaurus consolationum:

Animae medicina: Vitae canon:

Sublimior Philosophia: Dei ad Creaturas Epistola:

Perpetuus Magister: Doctrinarum Oceanus:

Lex peregrinantium: promissionis viridarium:

Voluntatis divinae promptuarium etc.

de illo nobis repetere liceat:

**BIBLIA noster Amor,**

**BIBLIA nobis omnia!**

Haec legere iuvat et relegere,

Haec scrutari prodest et enucleare,

Haec verborum suppeditant acumina,

in quibus rerum suppetunt pondera.

**BONE DEUS!**

quam copiosa! quam salutaria!

Nunquam autem, quae Dei sunt, sine DEO attinguntur,

cum impossibile sit Numen cognoscere sine Numine,

sicut solem nemo cognoscit sine solis lumine.

**Ergo praemissis ubique praemittendis**

**Ad DEUM precibus**

Interpres Textum lectum

disponit, explicat, applicat.

Reliqui Observatores selecta superaddunt,

si forte plus viderint oculi, quam oculus,

Utrique omnia dirigunt

non ad eruditam curiositatem,

quae nobiscum morientibus emoritur;

sed ad fidem et PIETATEM,

Cuius promissiones ad alteram quoque vitam extenduntur,

indeque ea Suprema Collegii Lex est,

quae non postremam sibi comitem exposcit

Prudentiam Ecclesiasticam.

O quantas hic licet cognoscere verbi coelestis divitias!

cum unicus saepe versiculus,

quid? unica vox

sufficiat Observationibus singulorum.

Ita fons, quem quilibet exhaurit sibi totum,

reliquis denuo impletus est.

Nunc textus proferuntur utriusque Testamenti authentici:

Nunc eorundem conferuntur Versiones:

Ibi audias discrepare Syriacam et Arabicam,

Alibi LXX - viralem et Vulgatam.

Nunc Orthodoxorum sententia,

quam TOT TANTIQUE DOCTORES

In HOC DOCTRINARUM DOMICILIO

nos docent,

Patrum et Commentatorum testimoniis comprobatur:

Mox Observatio adducitur Theologica,

mox Philologica,

Ita tamen ut veritas potius investigetur, quam eloquentia,

Utilitas magis quaeratur, quam subtilitas,

Sensus efferatur, non inferatur:

Alius rem declarat per Parallelismum et Paraphrasin,

Alius declarata applicat ad vitae praxin,

ut adeo ad omnia prodesse deprehendantur

**BIBLIA noster Amor.**

Haec Tu

AMICE

non semel cognovisti tantum omnia,

sed adiuvistis,

imo promovisti

Patronis Collegio subinde concilitatis.

Et qui primus inter nos haecenus fuisti ordine,

primus nunc es utilitatis eius perceptione,

quam Deus destinavit BIBLIOPHILIS.

Eo ipso

quos non vulgariter haecenus docuisti exemplo,

certos esse poteris iubere de futuro commodo.

Equidem

Discessus Tuus nobis tristis est:

quem enim insigniter amavimus praesentem,

eum graviter nunc dolemus discedentem.

Sed permanebit tamen

post ipsam corporum seiunctionem

indivulsa mentium coniunctio.

O felicem diem,

quae TE felicem nobis reddet!

Abito igitur in eius Nomine,

In quo coeptum est Collegium Philo-Biblicum.

Idem DEUS, qui ex Collegio privato

Te abire iussit ad officium publicum,

Salvos VOS ducat et reducat,

Suumque SAXONIAE feliciter restituat

**FRIDERICUM AUGUSTUM.**

Imo,

quae devoti nostri voti summa est,

Corpori sanitatem,

Animo vigorem,

Annis numerum,

Desideriis eventum,

Consiliis successum,

uno verbo: FELICITATEM largiatur,

quam Pii omnibus promissam

hactenus nobiscum cognovisti

IN COLLEGIO PHILO-BIBLICO.

**E M E N D A N D A.**

Pag. 21. Not. 45. post *Lat.* adde T. II.

— 22. Lin. 24. lege *veritates* pro *varietates*.

— 22. Not. 50. post *Lat.* adde: T. II.

Indicenda nunc solemnia, quae huius libelli conscribendi attulere causam. Instat enim dies, quo ante trecentos et quod excurrit annos Lutherus instaurandae ecclesiae Christianae iecit fundamenta. Huius rei memoriam Universitas literarum Lipsiensis more maiorum die XXXI. mensis Octobris, finitis sacris publicis matutinis, in aede Paulina pio gratoque in Deum animo celebrabit. Quo magis autem Luthero eiusque sociis contigit ipsos fontes verbi divini et ad eundo et aperiendo sacra Christiana emendare, eo pluris profecto illi viri faciendi sunt, qui hoc exemplum imitantes illud opus admodum salutare continuarunt. Ad quos quidem viros in primis Philippum Iacobum Spenerum pertinuisse, nemo unus inter nos reperitur, qui ignoret. Quare non abs re fore arbitror, si hoc festo die ipsius anni, quo *ante seculum cum dimidio* vir ille egregius salutis patriae nostrae prospicere coepit et *Collegium*, cui plurimum favebat, *Philobiblicum* in nostra Academia est conditum, ex suggestu sacro iuvenis tam moribus quam doctrinae copia commendatissimus, Lobegott Fridericus Constantia Tischendorf, Lengfelda - Variscus, Societatis historico-theologicae sodalis, *Spenerum rebus sacris per Lutherum instauratis non modo non defuisse, verum etiam magnopere profuisse*, brevi oratione erit demonstraturus.

Hanc orationem alia solemnia excipient. Postquam enim pompa, Committonum coetu comitante, primo post horam XI. quadrante ex aede Paulina in aulam Academicam deducta fuerit, Rector huius literarum Universitatis Magnificus, oratione habita, magistratum, quo per anni spatium functus est, deponet eumque cum insignibus tradet legitime electo atque Regia auctoritate confirmato successori, Viro Summe Venerabili et Illustri, Friderico Adolpho Schilling, Iur. Rom. Professori Ordinario de republica literarum pariter ac de patria et Academia nostra optime merito, qui suscepto munere orationem habebit inauguralem.

Quam solemnitatem ut Vos omnes, quicumque sacris instauratis et Universitati nostrae bene cupitis, utriusque civitatis Proceres gravissimi, et Vos, Committones Optimi, praesentia Vestra piisque votis prosequi velitis, ea, qua par est, observantia rogamus.

P. P. in Universitate Lipsiensi Domin. XXII. post Festum Trinitatis anno MDCCCXXXVI.